

ex aethere aër, ex aëre aqua, ex aqua terra infima. Sic naturis his, e quibus omnia constant, sursum, deorsum, ultro citroque commeantibus, mundi partium conjunctio continetur. Quae aut sempiterna sit necesse est, hoc eodem ornatu, quem videmus; aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum et immensum paene tempus. Quorum utrumvis ut sit, sequitur, natura mundum administrari. Quae enim classium navigatio, aut quae instructio exercitus, aut rursus (ut ea, quae natura efficit, conferamus) quae procreatio vitis aut arboris, quae porro animantis figura conformatioque membrorum, tantam naturae sollertiam significat, quantam ipse mundus? Aut igitur nihil est, quod sentiente natura regatur: aut mundum regi confitendum est. Etenim qui reliquas naturas omnes, earumque semina contineat, qui potest ipse non natura administrari? Ut, si qui dentes, et pubertatem natura dicat existere; ipsum autem hominem, cui ea existant, non constare natura: non intelligat, ea, quae efferant aliquid ex sese, perfectiores habere naturas, quam ea, quae ex iis efferantur.

Cap. XXXIV. Omnium autem rerum, quae natura administrantur, seminator et sator et parens, ut ita dicam, atque educator et altor est mundus; omniaque, sicut membra et partes suas, nutricatur et continet. Quod si mundi partes natura administrantur, necesse est mundum ipsum natura administrari: cujus quidem administratio nihil habet in se, quod reprehendi possit. Ex iis enim naturis, quae erant, quod effici optimum potuit, effectum est. Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo umquam docebit: et, si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuerit, desiderabit. Quod si omnes mundi partes ita constitutae sunt, ut neque ad usum meliores potuerint esse, neque ad speciem pulchriores: videamus, utrum ea fortuita sint, an eo statu, quo cohaerere nullo modo potuerint, nisi sensu moderante divinaque providentia. Si ergo meliora sunt ea, quae natura, quam illa, quae